

3+4/80

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXX

RVIMOR VARI
MOR VARI
MOR VARIVS R
R VARIVS RVM
VAARI VS DIAION

RVMOR VARIVS

RVIMOR VARI
MOR VARI
VAARI

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TURICIENSI in aedi-
bus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio : CCCXXX

Pretium subnotationis :
(annum)

In Helvetia	Fr.	8.80
In Germania	DM	11.--
In Austria	SS	90.--
In ceteris Europae terris	Fr.	13.--
In terris trans maria sitis	Fr.	18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet

Collegium redactorum :

Ulricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarum :

Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TURICIENSI
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 Mal
jährlich.

Auflage : 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

Schweiz	Fr.	8.80
Deutschland	DM	11.--
Oesterreich	SS	90.--

Übriges Europa Fr. 13.--

Uebersee Fr. 18.--

Einzelne Probenummern kön-
nen gratis bezogen werden

Redaktionsteam :

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz) :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus salu-
tem dicit plurimam!

Si valetis, bene est; ego valeo. Sunt plures
et variae res novae, quas vobis hodie nunti-
are velim.

Primum habeo, quod dicere me valde paenitet:
Henricus Hürzeler, adhuc socius operis nost-
ri, unus paucorum, qui aliquando RVMORI VARIO
animam vitamque inflaverunt, diutius in col-
legio nostro redactorum RVMOREM VARIVM eden-
tium permanere non potest. Scripsit nobis se
e numero redactorum discedere velle, quod si-
bi tempus ratas partes scribendi litterarum
studiorum causā non iam superesset. Mox au-
tem disciplinae artis medendi studenti temp-
tantibus satisfaciendum erit Turici in uni-
versitatis institutis. Amittimus in Henrico
Hürzeler amatum auctorem, qui nobis multa de
animalibus rusticis, de herbis salubribus, de
vita iucunda virorum agrestium narrare sole-
bat. Cuius fabulas semper magno cum gaudio
legebamus. Speramus eum omnia sua examina
summa cum laude gesturum esse. Fortasse se
nobis aliquo futuro adhuc incerto tempore
iterum socium operis adiungere poterit. Spe-
remus optima!

Deinde habeo, quod vobis nuntiare me non mi-
nus paenitet: Etiam Franciscus Bachmann, qui
adhuc RVMORI VARIO impressum dispositionemque
rerum legentibus publicandarum curavit, nobis
temporibus futuris saepius deerit: Habet enim
in animo sacerdotium sequi. Cuius artis stu-
dium ei tempus necessarium non iam permittet,
quo nobiscum modo consuetudinem sequens col-
laboret. Sane nobis pollicitus est se etiam
futuris temporibus aenigmata RVMORI VARIO cu-
raturum esse.

Tenebit locum eius ab inde novus curator impressi dispositionisque rerum publicandarum Patricius Hardmeier, quem nonnullis eius ratis partibus adhuc in RVMORE VARIO divulgatis iamdudum novistis.

Tertio denique de re narrare possum, quae certe omnes delectabit: Martinus Meier, noster socius operis, cuius carmina in linguam Latinam transposita a Mani Matter composita iam saepe in RVMORE VARIO divulgata invenistis, nuper sibi VIIIICCCCLX francorum Helveticorum paravit interpres vitae Mani Matteri in emissione televisoria, quam institutum televisorium Helveticum sub titulo "Tell-Star" nostris diebus fere singulis hebdomadibus emittere solet. Hoc praemium Martino Meier certum manebit; praeterea facultas erit praemii augendi, nisi forte in aliqua emissione futura alius certaminis particeps hospes probaverit se in deliciis suis ampliorem scientiam possidere quam Martinus Meier in suis. Speramus amicum nostrum e certamine, quod modo autumno huius anni finitum erit, victorem abiturum esse! Quaecumque futura sint: gratulamur socio nostro praemium sibi adhuc latum!

Ceterum vos certiores facere velim Martinum Meier ante paucos dies una cum quattuor sociis operis, (cum Dr. G. Durtschi, cum Patricio Hardmeier sororque Praxede, cum auctore huius praefationis) in taberna prope aedes AKADis sita consedisse. Turicum venit Martinus Meier e Vico Lacūs Palustris non modo, ut nobiscum de rebus ad RVMOREM VARIUM pertinentes dissereret, sed etiam, ut nos reliquos redactores melius cognosceret. Dum in illa taberna cervisiam bibentes unā sedēmus, Patricius Hardmeier machina sua photographica hanc effigiem Martinum Meier monstrantem depinxit, quam infra videtis impressam.



Demonstrat autem haec imago socios operis, qui RVMOREM VARIUM edant, viros laetos esse! Haec sunt ita, quia RVMOREM VARIUM edere omnes maxime delectat!

Valete!

Ulricus Aeschlimann

temptantibus satisfacere
sacerdotium sequi

praemium VIIIICCCCLX
francorum
institutum televisorium
Helveticum
deliciae, -arum, f.
Vicus Lacūs Palustris

Prüfungen bestehen
die Priesterlauf-
bahn beschreiten
Gewinnsumme von
Fr. 8'460.--
das Schweizer Fern-
sehen (SRG)
das Steckenpferd
Moosseedorf

DE PEREGRINATIONE AËREA LUTETIAM PARISIORVM FACTA NARRATVR

Uxor mea, peregrinandi cupidissima, per plures dies mihi persuadere studebat, ut Lutetiam, quod est caput Gallorum, iter secum facerem.

Quid tibi, inquam, venit in mentem? Iterum longinqua petere? Mihi quidem est domi manere multo gratius. Quid obstat, quominus tandem aliquando ferias apud penates agamus? At illa: Mi animule! Aurem praebe mihi clementer! Feriae apud penates actae feriae verae non sunt. Tapeta mutanda sunt, ut a laboribus respiremus cotidianis. Parum mutatur consuetudo vitae domi manentibus.

Et ego: Memento, quaeso, illud poetae Romani: "Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt."

-Memini, sed nunc et hic de mari transeundo quaestio non est. Lutetiam dixi me ire cupere.

-Intellego, at quid interest? Nec Lutetiae neque alibi nostra domus est, domusque nostra mihi dulcior est alio loco quocumque. Quid tandem Lutetiae vis?

-Quid Lutetiae velim? O puerilem quaestionem! An ignoras ingentem metropolim esse? Quam multa ibi sunt visu audituque dignissima, quae oculos animumque voluptate perfundant!

-Et nasum! Centum milia automobilium! Quot emissaria vaporum foetent per vias!

-Nugas! Cavillari noli! An Turici auram alpinam respiramus?

-Ita sane! Concedo.

-Laudo, voluptas mea!

-Et quomodo illuc pervenire vis? An pedibus?
-Id quidem fieri non posse doleo, cum feriae februariae sint breviores. Restant dies septem, reputa!

-Viā ferratā ergo?

-Sic! Vel, quod ego certe malle, aëroplano.

-Pro Iuppiter! Nonne curas pretium? Re vera interdum me recordaris de illa uxore piscatoris in fabula, cuius numquam vota satiari potuerint. Mene decoquere vis?

-Te decoquere profecto nolo, cor meum. At pro certo habeo et tibi et mihi multo plus concludendum esse Lutetiae ferias agere quam domi acescere. Corpus autem animumque vigere quam pecuniam accumulare praestat.

-Per deum! Pecunia nostra ne accumuletur, periculum non est. Réputa vectigalia, quae nondum solvimus!

-Vectigalia! Eaedem semper tuae curae! Primum vivere, deinde philosophari! Memento Ciceronem haec ferme dicentem: "Beatitudo constat in removendis cogitationibus malis."

-Praeclare dixit tuque mihi persuasisti! Agedum! Eamus! Carpamus diem! Aëroplanum proponis?

-Propono.

-Fiat voluntas tua! I ad tabularium, quod iter procurat! Quod nomen est eius?

- "Reisebüro Kuoni", ut barbari dicunt.

-Et Latine?

-Iam dixi: tabularium, quod itinera procurat.

-Dubito, num Romani, si rem habuissent, ita dicturi fuerint. Sed nihil ad rem. Propera ad tabularium, quod vocatur!

- "In me nulla mora est." Et abiit.

Paucis diebus post, tesseris emptis, laeti ad aëroportum "Kloten" nos contulimus. Aderat multitudo aëroviatorum. Expectandum nobis erat aliquamdiu, dum ordo noster esset portae intrandae, ubi syngraphi (Pässe) custodiuntur. Inde ad aëroplanum vecti avem illam

metallicam, quod nostrae aetatis est miraculum, escendimus. Paulo post motores murmurant crescente fremitu, iamiamque incredibili velocitate vehimur et subito aëroplanum surgere sentimus terrāque relictā petere altum. Quod miraculum! Summopere miror vim ingentem, qua fit, ut pondus tantum in aëra feratur. Etenim centum circiter, per me licet, viatores sunt unā nobiscum. Cingulis adstricti sedemus non aliter atque in carro commodissime instructo gaudeoque volatu, quamquam admixto quodam metu periculi. Specto per fenestram terram procul iam infra nos iacentem cernoque silvas, campos, domos, vias fluviosque, quae omnia magis magisque imminuuntur usque ad punctum, ubi vix iam discernantur oculis. Mox etiam altius iamque supra nubes volamus, quae passim supra terram pendunt, et ecce nos sub Iove aeterne sereno! Quam voluptatem, mi Ovidi, tibi non nisi in somniis fabulisve notam! Vale, vetus terra nostra! Caelo proximi sumus in altitudine decem milium (paene haud irridicule "passuum" dixi!). Salutem vobis, Daedale et Icare, qui primi fuistis humani quidem generis aëra carpentes! Si quidem fidem fabulis habemus. Quae vos, homines antiqui, somniastis tantum, tandem ad effectum adduxerunt eruditi nostri.

Dum talia mecum volvo, ecce subito strato nubium infra dissoluto magnam domuum agglomerationem conspicio neque dubito, quin sit urbs Basilea, parva quidem, quin etiam exigua visa ex altitudine spectanti. Vale, superba Basilea, philologorum patria urbs! Iamque Helvetiorum finibus relictis caelum Gallorum petimus eādem adhuc altitudine volantes. Interim puella cauponia, ut ita falsoque dicam (cum aëroplanum nominari cauponam non liceat), nitidissima et amabilis appropinquat interrogans, quid bibere vel comedere libeat, egoque: "Quanti venit prandium?"

Et illa: "Gratis datur vel, ut accuratius dicam, in pretio volandi, quod solvisti, domine, inclusum est prandium." Egoque: "Amabili loquacitate tua delector. Affer nobis, quaeso, quae gratis offeruntur, omnia!" Et puella subridens: "Statim ministrabo." Iamque abest, ut facta verba sequantur. Brevi post reversa suam cuique (uxori mihique) lancem porrigit plenam mirā varietate deliciarum.

- Et vinum? interrogo.

- Si placebit, afferam. At potiones temetum (Alkohol) habentes in pretio inclusae non sunt.

- Nihil interest. Affer, quaeso, vasa duo vel potius lagonam!

- Esto!

In aëroplano volanti mihi vino opus est, quia metu me liberat. Duobus vel tribus vasis haustis iam nihil timeo neque curo, utrum salvi Lutetiam adventuri simus an antea, aëroplano in profundum praecipitante, diem supremum obituri. Mirum vero effectum habet Bacchus ad placandos animos fugandosque timores.

Laeti ergo prandentes et vicissim per fenestram spectantes super Galliam volamus, at doleo, quod terra omnis infra nos vasta iacens nimis longinqua est, ut quicquam oculis distincte cernere possimus. Tum necopinato ex amplificatore (Lautsprecher) vocem capitis aëroplani audimus nuntiantis decem minutis post fore, ut aëroportum Lutetiae attingam. Mehercle! Iamque sentimus aëroplanum descendens paulatim egoque per fenestram spectans: "Quod miraculum, inquam, procul ibi cerno?" Magna voce exclamo et ad uxorem versus: "Specta, corculum meum, ingens mare domuum, Lutetiam! Potestne fieri, ut ulla urbs tam sit ampla? Incredibile visu! Specta, specta! Iam-



que turris Eiffeli apparet, notissimum signum Lutetiae. Quid est Turicum nostrum, si cum Lutetiā conferas? Nanus est! Quin etiam nanillus, nanissimus! Dummodo ne in domos cadamus!" Denuo timeo, namque vini effectus interim evanuit. At avis nostra, ut ita dicam, magis magisque descendit tranquille et placide volans, velut ac si omne periculum abesset. Suspenso animo continenter deorsum oculos verto ad illud, quod "mare domuum" recte est appellandum. Cor mihi tam vehementer palpitat, ut audiam. Et coniunx mea: "Cohibe te, quaeso, ne omnibus aëroviatoribus, qui adsunt, spectaculo sis! Opus non est cernere omnes te esse delirum." Obsequor meque cohibeo, quasi vir essem volandi peritus nullaque novitate commotus. Nulla enim re moveri viri perfecti est, ut nostrates putant, Britannorum imprimis viri fastidiosi.

Reliqua, cari legentes, in proximo RVMORE VARIO persequemur.

Dr. Emanuel Bernard

S O L V T I O N E S
=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Denise Etter
Bächlenmatt 2
5630 Muri AG

secundum praemium:

Dieter Hebeisen
Bimerweg 11
3303 Jegenstorf

tertium praemium:

Daniel Weissmann
Tellstr. 30
3014 Bern

1	P	2	O	3	T	4	E	N	T	5	I	6	A
7	A	C	I	E	S					8	N	E	
	T	C							9	E			Q
10	E	I				11	R	12	E	X			U
	R	L				13	A	L	I				O
			14	L	15	U	M	I	N	16	A	R	
	M	E	D	I	A					E			
18	E	M	I	S	S	U	R	A					

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-
TEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS MARTIIS
MCMLXXX EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium: LIBER
secundum praemium: LIBELLVS
tertium praemium: LIBELLVS


Aenigma

ad libram :

1. interdum
8. contra
9. hoc nomen in
libris sacris
invenire potes
10. non volo
11. metus
12. nutrio
13. fluvius notus
Galliam citeri-
orem ornans (gen.)
14. mille
15. gula
16. lanam traho
17. dea
21. sive
22. ...,eccam,eccum
23. etiam ...,mi filii
Brute!
26. 50
27. falsi
28. abundantia
(e.g. nummi)
30. asellos
31. nummus

ad perpendicularum :

1. 90
2. nummus
3. idem ac 16. ad
libram
4. ...que ad
5. hasta Gallorum
6. ... sit futurum
cras, fuge quaerere
7. marmor excidit
18. flos cuiusdam
generis (dat. pl.)
19. ...-tse-musca
20. comminantibus
22. in errore versare
24. umidus
25. trans, sua sponte
29. particula inter-
rogativa
32. centum



Cari legentes,

familiae optimae et honorificentissimae cui-
que non raro sunt maiores, qui ut turpi sic
mirabili quodam modo probitatis itinere re-
licto insolita, ne dicam scelesta, gesserunt.
Audiamus igitur carmen de Bernhardo Matter:

DE BERNHARDO MATTER

Ut me ipse explicarem,
inquisivi genera
precedentia; spectarem
ut, quae essent patria,
veteres libros scrutatus
sum, sed hominem modo,
qui est capitis damnatus,
notum inveni ego.

Erat fur Bernhardus Matter,
Argoviensis ut ego,
ut erat non meus pater
ita patruus certo.
Nostro hic monstravit talem,
ut accepi, generi
viam, ne miremur qualem
nostram stirpem fieri.

Vitam is per universam,
quidquid vidit, rapuit
neque vero etiam rem, quam
non spectavit, reliquit.
Stabulum per gallinarum
domum noctu penetrans
captis nummis et vaccarum
linguis abit properans.

Ter vel quater est captatus
et illatus carceri,
sed non diu hic moratus
via iste celeri
fugae se mandavit aquam
atque panem contemnens
ditiorem in tabernam
vinculis aufugiens.

Iudices aegre tulerunt:
melius non carceres
obserari, sed iusserunt
adhiberi bipennes.
Advenerunt contemplatum
absecantem gladium
caput patrum damnatum
ovi culmen ut coctum.

Sic me non possum iurare
vitaturum scelera;
heres patrum sum, quare
forsan geram patria.
Etiam vos si nunc credatis
esse semper integros,
patruus, quem ignoratis,
venit subito ad vos!

M.M.

TRES FABVLÆ IOCOSÆ

INSCRIPTIO LATINA

Nebulix et Sinistricarrix, duo viri Britan-
nici, Romam visitant.

N.: "O, ecce amphitheatrum Flavium! Nonne
'Colosseum' nominatur?"

S.: "Recte quidem, sed mihi magis placet
ille circus, qui maximus habetur. Equos
currusque minus crudeles bestiis post
longas pugnas necatis existimo."

N.: "Tunc sani cerebri es? Bestiae necandae
et mentem et sensus incitant meos!
(Spectans inscriptionem MCMIV...) Sed
quid vident oculi mei iam vino cervisia-
que fatigati? Num tu umquam nomen tale
Romae vidisti?"

S.: "Nempe! Est certo nomen Caledonici cuius-
dam, qui Romam emigravit sibi que has
aedes construi iussit."

PAVLVS AEMILIVM VISITAT

Paulo portam pulsante...

A.: "Veniam, hercle, iam venturus sum! Ah,
salve, Paule! Mercurius tibi favit, alio-
quin numquam per tales imbres villulam
meam invenisses."

P.: "Sint tibi semper propitii di hospitales,
optime Aemili! Bonum est tempestatem fu-
gisse."

A.: "Intra, amice mihi gratissime! Commode
vivas intra muros meos!"

P.: "Commode? Sed quid hoc? Imbres per tec-
tum manant. Quod cur non reparasti?"

A.: "Audi: Iove pluente reparare non possum,
sole autem lucente tectum reparari non
oportet!"

DE NUMMO AMISSO

Caledonicus Romam visitans olim nummum amisit.

C.: "Heu me miserum! Ubi es, numme dulcissi-
me et cor meum maxime delectans? Utinam
in bursam meam remigres! Ne amissus sis
in omnia tempora! Quaeram te et inveniam!"

Aedilis: "Quid quaeris, optime? Adessene tibi
possum?"

C.: "Te dei miserunt Olympici! Amisi nummum
pretiosissimum. Quem si reppereris, gra-
tias tibi agam maximas!"

A.: "Sed dic mihi, ubi habites, ut mittere
tibi possim nummum."

Nonnullis annis post idem Caledonicus Romam
iterum visitans eundem aedilem servos viam
deletam reparantes custodientem videt.

A.: "Salve, hospes, gaudeo me te rursus vi-
dere!"

C.: "Salvus sis et tu, o custos legis. Stre-
nui estis vere, aediles Romani, quod meo
nummo ne viis quidem parcitis."

MARTINUS MEIER

DE LEGIBVS XII TABVLARVM

TABULA III

1. AERIS CONFESSI REBUSQUE IURE IUDICATIS XXX DIES IUSTI SUNTO.

2. POST DEINDE MANUS INIECTIO ESTO. IN IUS DUCITO. 3. NI IUDICATUM FACIT AUT QUIS ENDO EO IN IURE VINDICIT, SECUM DUCITO, VINCITO AUT NERVO AUT COMPEDIBUS XV PONDO, NE MAIORE AUT SI VOLET MINORE VINCITO.

4. SI VOLET SUO VIVITO. NI SUO VIVIT, QUI EUM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO. SI VOLET, PLUS DATO.

5. Erat autem ius interea paciscendi, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebantur, quantaque pecuniae iudicati essent, praedicabatur. Tertis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. (Gellius 20,1,46,47)

6. TERTIIS NUNDINIS PARTIS SECANTO. SI PLUS MINUSVE SECUERUNT, SE FRAUDE ESTO.

Tabula III de pecunia debita conscripta est. Leges, ut videbimus, permittebant creditorem crudeliter in debitorem non solventem consuere. Temporibus nostris a talibus legibus recte abhorreremus. Tamen nobis animo reducere oportet creditorem temporibus ante leges XII tabularum scriptas sententiam suam sequentem quolibet modo in debitorem saevisse. Leges XII tabularum ergo, etsi nobis crudelissimae videantur, ad meliores debitoris condiciones pertinebant. Creditor enim nunc leges observare et consensu praetoris agere cogebatur.

▶ Lex 1
=====

AERIS CONFESSI (causā) = wegen einer (gerichtlich) anerkannten Geldschuld

REBUS IURE IUDICATIS (ablativus respectūs) = bezüglich einer rechtskräftig entschiedenen Angelegenheit

Ne creditor pecuniam nimiam vel nullo modo debitam peteret, necesse erat, ut summa pecuniae certa constaret. Qua de causa creditor modo debitum a debitore apud praetorem vel iudicem confessum aut a iudice arbitrove iudicatum flagitare poterat.

Debitori spatium XXX dierum ad debiti solvendum dabatur.

▶ **L e g e s 2 et 3**
=====

MANŪS INIECTIO = das förmliche Ergreifen des Schuldners durch den Gläubiger (vor dem Prätor)

ENDO (c. abl.) = in

ENDO EO VINDICIRE (vindex ire) = für ihn bürgen

vindex = der Bürge

NERVUS = Sehne, Fessel

COMPEDES XV PONDO = (hölzerne?) Fussfesseln von 15 Pfund (röm. Pfund = 326 g)

Temporibus antiquis corpus debitoris creditori quasi pignus erat pro pecunia debita. Debito post XXX dies non soluto creditor debitorem in forum apud praetorem ducebat. Nunc extremum tempus erat ad aeris solvendum. Cum vindex nullus debitori adfuerat, praetor eum creditori addicebat.

Creditor debitorem addictum manu cepit solemneque hanc formulam fatus est:

"Quod tu mihi iudicatus es sestertium decem milia, quodoc (=quando) non solvisti, ob eam rem ego tibi sestertium decem milium iudicati manum inicio."

Quo facto illum in vincula coniecit et secum duxit.

▶ **L e x 4**
=====

LIBRA FARRIS = 1 Pfund Speltbrei

Debitor nunc in domo creditoris in vinculis vivebat. Familiares amique sui facultatem

habebant ei cibum afferendi. Ni faciebant, creditor huius legis iussu libram farris ei cotidie parare debebat, ne fame interiret.

▶ **L e x 5**
=====

nundinae, -arum, f. = Markttag

trinis nundinis continuis = an drei aufeinanderfolgenden Markttagen

peregre = "über den ager (Romanus) hinaus", in die Fremde

De hac lege inter viros doctissimos adhuc disputatur.

Pecunia debita non soluta post LX dies creditori licebat debitorem servum trans Tiberim vendere et lucrum pro debito accipere vel eum necare.

Sed cui prodesset mors debitoris? Forsitan singuli creditores ulciscendi causa eo modo agebant. Verisimile autem haec comminatio accerima legis imprimis ad commovendos animos familiarum, amicorum patronique pertinebat, ut debitoris a morte servandi gratiā aes alienum eius solverent.

Debitor, cui omnes defuerant, facultatem habebat sese in nexum creditoris dedere*. Ita convenire cum debitore sine dubio creditori plerumque placebat, nam utilior ei erat vir in agris eius laborans quam mortuus.

* sich in Schuldknechtschaft begeben

▶ Lex 6
=====

TERTIIS NUNDINIS (creditores) PARTIS (=partes
corporis debitoris necati vel mortui) SECANTO.

SE = sine

Debitorē necato vel mortuo licebat creditoribus, si essent complures, corpus eius in partes dissecare. Sed etiam haec lex imprimis ad commovendos animos familiae debitoris mortui pertinebat. Corpus dissecatum sepeliri enim non poterat. Animam autem insepulti antiqui putabant inquietem circumire. Quam ob rem familia mortui debita eius solvere coacta erat, ut ille requiesceret in pace.

PATRICIUS HARDMEIER

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich bestelle RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONVM DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.


(ich bestelle RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/80

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS

